

## Antike Autoren – neu gelesen:

### Briefe von Seneca und Plinius

Boppard, 13.– 14. Mai 2008

*Seneca epist. 5,1*

Quod pertinaciter studes et omnibus omissis  
hoc unum agis, ut te meliorem cotidie facis,  
et probo et gaudeo...

*Quint. inst. 12,2,7*

Ego illum, quem instituo, Romanum quendam  
velim esse sapientem, qui non secretis disputa-  
tionibus sed rerum experimentis atque operibus  
vere civilem virum exhibeat.

#### Einführung „Belehrung in Briefen“

Cicero	2
Horaz	3
Plinius	4–6

#### Themen für die Arbeitsgruppen

- 1. Karriere vs. otium 7–9
- 2. gloria / immortalitas 10–13
- 3. senectus 14–16
- 4. Affekte: metus, spes, dolor... 17–20
- 5 sensus communis et humanitas 21–24
- 6 Bücher lesen und schreiben 25–27
- 7 Lehrer / exempla 28–31
- 8 pecunia 32–34

Grundlegende Literatur zu Plinius	35
-----------------------------------	----

*Cic. fam. 2,7 an Curio*

(Dez. 51; Cicero ist in Kilikien; Curio ist zum Volkstribunen gewählt worden)

[...] tibi et gratulor et, ut sempiternae laudi tibi sit iste tribunatus, exopto teque hortor, ut omnia gubernes et moderere prudentia tua, ne te auferant aliorum  
3 consilia. nemo est qui tibi sapientius suadere possit te ipso; numquam labere, si te audies. non scribo hoc temere; cui scribam, video; novi animum, novi consilium tuum; non vereor ne quid timide, ne quid stulte facias, si ea defendes, quae  
6 ipse recta esse senties. (§2) quod in rei publicae tempus non incideris, sed veneris (iudicio enim tuo, non casu in ipsum discrimen rerum contulisti tribunatum tuum), profecto vides; quanta vis in re publica temporum sit, quanta varietas  
9 rerum, quam incerti exitus, quam flexibiles hominum voluntates, quid insidiarum, quid vanitatis in vita, non dubito quin cogites. sed, amabo te, cura et cogita, Curio, – nihil novi, sed illud idem, quod initio scripsi : tecum loquere, te  
12 adhibe in consilium, te audi, tibi obtempera. alteri qui melius consilium dare possit quam tu, non facile inveniri potest; tibi vero ipsi certe nemo melius dabit. Dii immortales! cur ego absum vel spectator laudum tuarum vel particeps vel  
15 socius vel minister consiliorum? tametsi hoc minime tibi deest; sed tamen efficeret magnitudo et vis amoris mei, consilio te ut possem iuvare. [...]

*Cic. fam. 10,3 an L. Munatius Plancus (Dez. 44)*

(Plancus ist Statthalter der Gallia Comata und für 42 zum Konsul designiert)

Cum ipsum Furnium (Plancus' Legat) per se vidi libentissime tum hoc libentius, quod illum audiens te videbar audire. nam et in re militari virtutem et in administranda provincia iustitiam et in omni genere prudentiam mihi tuam exposuit  
3 et praeterea mihi non ignotam in consuetudine et familiaritate suavitatem tuam; adiunxit praeterea summam erga se liberalitatem. quae omnia mihi iucunda, hoc  
6 extremum etiam gratum fuit. (§2) ego, Plance, necessitudinem constitutam habui cum domo vestra ante aliquanto quam tu natus es, amorem autem erga te ab ineunte pueritia tua, confirmata iam aetate familiaritatem cum studio meo tum  
9 iudicio tuo constitutam. his de causis mirabiliter faveo dignitati tuae [...]; nunc me amantissimum tui, nemini concedentem qui tibi vetustate necessitudinis potior possit esse, si audies, omnem tibi reliquae vitae dignitatem ex optimo rei  
12 p. statu adquires. (§3) [...] consul es designatus, optima aetate, summa eloquentia, maxima orbitate rei p. virorum talium. incumbe, per deos immortalis! in eam curam et cogitationem, quae tibi summam dignitatem et gloriam adferat; unus  
15 autem est, hoc praesertim tempore, per tot annos re p. divexata, rei p. bene gerendae cursus ad gloriam. (§4) haec amore magis impulsus scribenda ad te putavi quam quo te arbitrarer monitis et praeceptis egere; [...].

*Hor. epist. 1,2,55 ff.*

- Sperne voluptates: nocet empta dolore voluptas.  
Semper avarus eget: certum voto pete finem.
- 3 Invidus alterius macrescit rebus opimis;  
invidia Siculi non invenere tyranni  
maius tormentum. qui non moderabitur irae,
- 6 infectum volet esse, dolor quod suaserit et mens,  
dum poenas odio per vim festinat inulto.  
ira furor brevis est: animum rege; qui nisi paret,
- 9 imperat; hunc frenis, hunc tu conpesce catena.

*Hor. epist. 1,6,1 ff.*

- Nil admirari prope res est una, Numici,  
solaque, quae possit facere et servare beatum.
- 3 Hunc solem et stellas et decedentia certis  
tempora momentis sunt qui formidine nulla  
inbuti spectent: quid censes munera terrae,
- 6 quid maris extremos Arabas ditantis et Indos  
ludicra, quid plausus et amici dona Quiritis,  
quo spectanda modo, quo sensu credis et ore?
- 9 Qui timet his adversa, fere miratur eodem  
quo cupiens pacto; pavor est utrubique molestus,  
inprovisa simul species exterret utrumque.
- 12 Gaudeat an doleat, cupiat metuatne, quid ad rem,  
si, quidquid vidit melius peiusve sua spe,  
defixis oculis animoque et corpore torpet?

*Hor. epist. 1,10,44 ff.*

- Laetus sorte tua vives sapienter, Aristi,  
nec me dimittes incastigatum, ubi plura
- 3 cogere quam satis est ac non cessare videbor.  
imperat aut servit collecta pecunia cuique,  
tortum digna sequi potius quam ducere funem.

*Plinius 5,3,11*

[...] amicos plures [...] habere multis gloriosum, reprehensionem nemini fuit

*Plinius 8,9*

C. Plinius Urso suo s. ] Olim non librum in manus, non stilum sumpsit, olim nescio quid sit otium quid quies, quid denique illud iners quidem, iucundum  
3 tamen nihil agere nihil esse: adeo multa me negotia amicorum nec secedere nec  
studere patiuntur. (§2) Nulla enim studia tanti sunt, ut amicitiae officium  
deseratur, quod religiosissime custodiendum studia ipsa praecipiant. Vale

*Plinius 7,28*

C. Plinius Septicio suo s. ] Ais quosdam apud te reprehendisse, tamquam  
amicos meos ex omni occasione ultra modum laudem. (§2) Agnosco crimen,  
3 amplector etiam. Quid enim honestius culpa benignitatis? Qui sunt tamen isti,  
qui amicos meos melius norint? Sed, ut norint, quid invident mihi felicissimo  
errore? Ut enim non sint tales quales a me praedicantur, ego tamen beatus quod  
6 mihi videntur. (§3) Igitur ad alios hanc sinistram diligentiam conferant; nec sunt  
parum multi, qui carpere amicos suos iudicium vocant. Mihi numquam persuade-  
debunt ut meos amari a me nimium putem. Vale

*Plinius 3,1*

zu *Spurinna* cf. *Plin. 2,7* („eine Triumphalstatue für *Spurinna*“)

C. Plinius Calvisio suo s. ] Nescio, an ullum iucundius tempus exegerim, quam  
quo nuper apud *Spurinnam* fui, adeo quidem, ut neminem magis in senectute, si  
3 modo senescere datum est, aemulari velim; nihil est enim illo vitae genere  
distinctius. (§2) Me autem ut certus siderum cursus ita vita hominum disposita  
delectat, senum praesertim. Nam iuvenes confusa adhuc quaedam et quasi  
6 turbata non indecent, senibus placida omnia et ordinata conveniunt, quibus  
industria sera, turpis ambitio est. (§3) Hanc regulam *Spurinna* constantissime  
servat; quin etiam parva haec, parva, si non cottidie fiant, ordine quodam et  
9 velut orbe circumagunt. [...] (§11) Hanc ego vitam voto et cogitatione praesumo,  
ingressurus avidissime, ut primum ratio aetatis receptui canere permiserit.

*Plinius 1,22*

*Titius Aristo ist einer der großen Juristen seiner Zeit*

C. Plinius Catilio suo s. ] Diu iam in urbe haereo et quidem attonitus. Perturbat  
me longa et pertinax valetudo Titi Aristonis, quem singulariter et miror et diligo.  
3 Nihil est enim illo gravius sanctius doctius, ut mihi non unus homo sed litterae  
ipsae omnesque bonae artes in uno homine summum periculum adire videantur.  
(§2) Quam peritus ille et privati iuris et publici! quantum rerum, quantum exem-  
6 plorum, quantum antiquitatis tenet! Nihil est quod discere velis quod ille docere  
non possit; mihi certe quotiens aliquid abditum quaero, ille thesaurus est.  
(§3) Iam quanta sermonibus eius fides, quanta auctoritas, quam pressa et decora  
9 cunctatio! quid est quod non statim sciat? Et tamen plerumque haesitat dubitat,  
diversitate rationum, quas acri magnoque iudicio ab origine causisque primis  
repetit discernit expendit. (§4) Ad hoc quam parcus in victu, quam modicus in  
12 cultu! Soleo ipsum cubiculum illius ipsumque lectum ut imaginem quandam  
priscae frugalitatis adspicere. (§5) Ornat haec magnitudo animi, quae nihil ad  
ostentationem, omnia ad conscientiam refert recteque facti non ex populi  
15 sermone mercedem, sed ex facto petit. (§6) In summa non facile quemquam ex  
istis qui sapientiae studium habitu corporis praeferunt, huic viro comparabis.

*Plinius 4,17,4–7*

*zu Corellius cf. Plin. 1,12*

C. Plinius Gallo suo s. ] [...] Obversatur oculis ille vir (= *Corellius*) quo  
neminem aetas nostra graviorem sanctiorem subtiliorem tulit, quem ego cum ex  
3 admiratione diligere coepissem, quod evenire contra solet, magis admiratus sum  
postquam penitus inspexi. (§5) Inspexi enim penitus: nihil a me ille secretum,  
non ioculare non serium, non triste non laetum. (§6) Adulescentulus eram, et  
6 iam mihi ab illo honor atque etiam – audebo dicere – reverentia ut aequali  
habebatur. Ille meus in petendis honoribus suffragator et testis, ille in inco-  
handis deductor et comes, ille in gerendis consiliator et rector, ille denique in  
9 omnibus officiis nostris, quamquam et imbecillus et senior, quasi iuvenis et  
validus conspiciebatur. (§7) Quantum ille famae meae domi, in publico, quan-  
tum etiam apud principem astruxit! [...]

*Plinius 6,11*

C. Plinius Maximo suo s. ] O diem laetum! Adhibitus in consilium a praefecto  
urbis audiui ex diverso agentes summae spei summae indolis iuvenes, Fuscum  
3 Salinatorem et Vmmidium Quadratum, egregium par nec modo temporibus  
nostris sed litteris ipsis ornamento futurum. (§2) Mira utrique probitas, constan-  
tia salva, decorus habitus, os Latinum, vox virilis, tenax memoria, magnum  
6 ingenium, iudicium aequale; quae singula mihi voluptati fuerunt, atque inter  
haec illud, quod et ipsi me ut rectorem, ut magistrum intuebantur, et iis qui  
audiebant me aemulari, meis instare vestigiis videbantur. (§3) O diem (repetam  
9 enim) laetum notandumque mihi candidissimo calculo! Quid enim aut publice  
laetius quam clarissimos iuvenes nomen et famam ex studiis petere, aut mihi  
optatius quam me ad recta tendentibus quasi exemplar esse propositum?  
12 (§4) Quod gaudium ut perpetuo capiam deos oro; ab isdem teste te peto, ut  
omnes qui me imitari tanti putabunt meliores esse quam me velint. Vale

*Plinius 8,24*

C. Plinius Maximo suo s.] Amor in te meus cogit, non ut praecipiam (neque  
enim praeceptore eges), admoneam tamen, ut quae scis teneas et observes, aut  
3 nescire melius. (§2) Cogita te missum in provinciam Achaiam, illam veram et  
meram Graeciam, in qua primum humanitas, litterae, etiam fruges inventae esse  
creduntur; missum ad ordinandum statum liberarum civitatum, id est ad homi-  
6 nes maxime homines, ad liberos maxime liberos, qui ius a natura datum virtute  
meritis amicitia foedere denique et religione tenuerunt. (§3) Reverere conditores  
deos et nomina deorum, reverere gloriam veterem et hanc ipsam senectutem,  
9 quae in homine venerabilis, in urbibus sacra. Sit apud te honor antiquitati, sit  
ingentibus factis, sit fabulis quoque. Nihil ex cuiusquam dignitate, nihil ex liber-  
tate, nihil etiam ex iactatione decerpseris. (§4) Habe ante oculos hanc esse  
12 terram, quae nobis miserit iura, quae leges non victis sed petentibus dedit,  
Athenas esse quas adeas, Lacedaemonem esse quam regas; quibus reliquam  
umbram et residuum libertatis nomen eripere durum ferum barbarum est. [...]

## Karriere vs. otium

### *Seneca epist. 19*

(§1) [...] Ita fac, oro atque obsecro [...] – si potes, subduc te istis occupatio-  
nibus; si minus, eripe. Satis multum temporis sparsimus: incipiamus vasa in  
3 senectute colligere. (§2) Numquid invidiosum est? in freto viximus, moriamur in  
portu. [...] [...] (§7) Si te ad privata rettuleris, minora erunt omnia, sed adfatim  
implebunt: at nunc plurima et undique ingesta non satiant. Utrum autem mavis  
6 ex inopia saturitatem an in copia famem? Et avida felicitas est et alienae avi-  
ditati exposita; quamdiu tibi satis nihil fuerit, ipse aliis non eris.  
(§8) „Quomodo” inquis „exibo?” Utcumque. Cogita quam multa temere pro  
9 pecunia, quam multa laboriose pro honore temptaveris: aliquid et pro otio  
audendum est, aut in ista sollicitudine procurationum et deinde urbanorum  
officiorum senescendum, in tumultu ac semper novis fluctibus quos effugere  
12 nulla modestia, nulla vitae quiete contingit. Quid enim ad rem pertinet an tu  
quiescere velis? fortuna tua non vult.

### *Seneca epist. 36*

Amicum tuum hortare ut istos magno animo contemnat qui illum obiurgant  
quod umbram et otium petierit, quod dignitatem suam destituerit et, cum plus  
3 consequi posset, praetulerit quietem omnibus; quam utiliter suum negotium  
gesserit cotidie illis ostendet. Hi quibus invidetur non desinent transire: alii  
elidentur, alii cadent. Res est inquieta felicitas; ipsa se exagitat. Movet cerebrum  
6 non uno genere: alios in aliud inritat, hos in inpotentiam, illos in luxuriam; hos  
inflat, illos mollit et totos resolvit. (§2) [...]

### *Seneca epist. 62*

Mentiuntur qui sibi obstare ad studia liberalia turbam negotiorum videri volunt.  
simulant occupationes et augent et ipsi se occupant. Vaco, Lucili, vaco, et  
3 ubique sum, ibi meus sum. Rebus enim me non trado sed commodo, nec con-  
sector perdendi temporis causas; et quocumque constiti loco, ibi cogitationes  
meas tracto et aliquid in animo salutare converso. (§2) Cum me amicis dedi,  
6 non tamen mihi abduco nec cum illis moror quibus me tempus aliquod congre-  
gavit aut causa ex officio nata civili, sed cum optimo quoque sum; ad illos, in  
quocumque loco, in quocumque saeculo fuerunt, animum meum mitto.  
9 (§3) Demetrium (*Kyniker; Freund Senecas*), virorum optimum, mecum circum-  
fero et relictis conchyliatis cum illo seminudo loquor, illum admiror. Quidni  
admirer? vidi nihil ei deesse. Contemnere aliquis omnia potest, omnia habere  
12 nemo potest: brevissima ad divitias per contemptum divitiarum via est. Deme-  
trius autem noster sic vivit, non tamquam contempserit omnia, sed tamquam  
aliis habenda permiserit.

*Plinius 1,9*

C. Plinius Minicio Fundano suo s.] Mirum est quam singulis diebus in urbe ratio aut constet aut constare videatur, pluribus iunctisque non constet.

- 3 (§2) Nam si quem interrogas ‘Hodie quid egisti?’, respondeat: ‘Officio togae virilis interfui, sponsalia aut nuptias frequentavi, ille me ad signandum testamentum, ille in advocacionem, ille in consilium rogavit.’ (§3) Haec quo die  
6 feceris, necessaria, eadem, si cotidie fecisse te reputes, inania videntur, multo magis cum secesseris. Tunc enim subit recordatio: ‘Quot dies quam frigidis rebus absumpsi!’ (§4) Quod evenit mihi, postquam in Laurentino meo aut lego aliquid  
9 aut scribo aut etiam corpori vaco, cuius fulturis animus sustinetur. (§5) Nihil audio quod audisse, nihil dico quod dixisse paeniteat; nemo apud me quemquam sinistris sermonibus carpit, neminem ipse reprehendo, nisi tamen me, cum  
12 parum commode scribo; nulla spe nullo timore sollicitor, nullis rumoribus inquietor: mecum tantum et cum libellis loquor. (§6) O rectam sinceramque vitam! O dulce otium honestumque ac paene omni negotio pulchrius! O mare, o  
15 litus, verum secretumque μυστικόν, quam multa invenitis, quam multa dictatis! (§7) Proinde tu quoque strepitum istum inanemque discursum et multum ineptos labores, ut primum fuerit occasio, relinque teque studiis vel otio trade.  
18 (§8) Satius est enim, ut Atilius (*Dramendichter*, 2. Jh. v. Chr.) noster eruditissime simul et facetissime dixit, otiosum esse quam nihil agere. Vale.

*Plinius 2,8*

C. Plinius Caninio suo s.] Studes an piscaris an venaris an simul omnia? possunt enim omnia simul fieri ad Larium nostrum (= *Comersee*). Nam lacus piscem, feras silvae, quibus lacus cingitur, studia altissimus iste secessus adfatim  
3 suggerunt. (§2) Sed sive omnia simul sive aliquid facis, non possum dicere „invideo”; angor tamen non et mihi licere, quae sic concupisco ut aegri vinum, balinea, fontes. numquamne hos artissimos laqueos, si solvere negatur, abrum-  
6 pam? numquam, puto. (§3) Nam veteribus negotiis nova accrescunt, nec tamen priora peraguntur: tot nexibus, tot quasi catenis maius in dies occupationum  
9 agmen extenditur. Vale



*Plinius 7,3*

C. Plinius Praesenti suo s.] Tantane perseverantia tu modo in Lucania, modo in  
Campania? „Ipse enim” inquis „Lucanus, uxor Campana.” (§2) Iusta causa  
3 longioris absentiae, non perpetuae tamen. Quin ergo aliquando in urbem redis?  
ubi dignitas honor amicitiae tam superiores quam minores. Quousque regnabis?  
quousque vigilabis cum voles, dormies quamdiu voles? quousque calcei nus-  
6 quam, toga feriata, liber totus dies? (§3) Tempus est te revisere molestias nos-  
tras, vel ob hoc solum ne voluptates istae satietate languescant. Saluta paulisper,  
quo sit tibi iucundius salutari; terere in hac turba, ut te solitudo delectet.  
9 (§4) Sed quid imprudens quem evocare conor retardo? Fortasse enim his ipsis  
admoneris, ut te magis ac magis otio involvas; (§5) quod ego non abrumpi sed  
intermitti volo. Ut enim, si cenam tibi facerem, dulcibus cibis acres acutosque  
12 miscerem, ut obtusus illis et oblitus stomachus his excitaretur, ita nunc hortor ut  
iucundissimum genus vitae non nullis interdum quasi acoribus condias. Vale

*Plinius 7,15*

C. Plinius Saturnino suo s.] Requiris quid agam. Quae nosti: dstringor officio,  
amicis deservio, studeo interdum, quod non interdum sed solum semperque  
3 facere, non audeo dicere rectius, certe beatius erat. (§2) Te omnia alia quam  
quae velis agere moleste ferrem, nisi ea quae agis essent honestissima. Nam et  
rei publicae suae negotia curare et disceptare inter amicos laude dignissimum  
6 est. (§3) [...]

## GLORIA / IMMORTALITAS

*Seneca epist. 123*

[...] (§16) [...] nos ad illa potius aures derigamus: ‘nemo est casu bonus: discenda uirtus est. Voluptas humilis res et pusilla est et in nullo habenda pretio, communis cum mutis animalibus, ad quam minima et contemptissima aduolant. Gloria uanum et uolubile quiddam est auaque mobilius. Paupertas nulli malum est nisi repugnanti. Mors malum non est. [...]

6

*Seneca epist. 4*

[...] (§5) Hoc cotidie meditare, ut possis aequo animo vitam relinquere, quam multi sic complectuntur et tenent quomodo qui aqua torrente rapiuntur spinas et aspera. Plerique inter mortis metum et vitae tormenta miseri fluctuantur et vivere nolunt, mori nesciunt. (§6) Fac itaque tibi iucundam vitam omnem pro illa sollicitudinem deponendo. Nullum bonum adiuuat habentem nisi ad cuius amissionem praeparatus est animus; nullius autem rei facilior amissio est quam quae desiderari amissa non potest. Ergo aduersus haec quae incidere possunt etiam potentissimis adhortare te et indura. [...]

6

*Seneca epist. 21*

(§2) [...] Studia te tua clarum et nobilem efficient. (§3) Exemplum Epicuri referam. Cum Idomeneo scriberet et illum a vita speciosa ad fidelem stabilemque gloriam revocaret, regiae tunc potentiae ministrum et magna tractantem, ‘si gloria’ inquit ‘tangeris, notioem te epistulae meae facient quam omnia ista quae colis et propter quae coleris’. (§4) Numquid ergo mentitus est? quis Idomeneam nosset nisi Epicurus illum litteris suis incidisset? Omnes illos megistanas et satrapas et regem ipsum ex quo Idomenei titulus petebatur oblivio alta suppressit. Nomen Attici perire Ciceronis epistulae non sinunt. Nihil illi profuisset gener Agrippa et Tiberius progener et Drusus Caesar pronepos; inter tam magna nomina taceretur nisi <sibi> Cicero illum adplicuisset. (§5) Profunda super nos altitudo temporis veniet, pauca ingenia caput exerent et in idem quandoque silentium abitura oblivioni resistent ac se diu vindicabunt. Quod Epicurus amico suo potuit promittere, hoc tibi promitto, Lucili: habebis apud posteros gratiam, possum mecum duratura nomina educere. [...]

12

*Seneca epist. 79*

[...] Hoc Metrodorus quoque in quadam epistula confitetur, se et Epicurum non  
satis enotuisse; sed post se et Epicurum magnum paratumque nomen habituros  
3 qui voluissent per eadem ire vestigia. (§17) Nulla virtus latet, et latuisse non  
ipsius est damnum: veniet qui conditam et saeculi sui malignitate compressam  
dies publicet. Paucis natus est qui populum aetatis suae cogitat. Multa annorum  
6 milia, multa populorum supervenient: ad illa respice. Etiam si omnibus tecum  
viventibus silentium livor indixerit, venient qui sine offensa, sine gratia iudicent.  
Si quod est pretium virtutis ex fama, nec hoc interit. Ad nos quidem nihil perti-  
9 nebit posterorum sermo; tamen etiam non sentientes colet ac frequentabit.  
(§18) Nulli non virtus et vivo et mortuo rettulit gratiam, si modo illam bona  
secutus est fide, si se non exornavit et pinxit, sed idem fuit sive ex denunciato  
12 videbatur sive inparatus ac subito. Nihil simulatio proficit; paucis inponit leviter  
extrinsecus inducta facies: veritas in omnem partem sui eadem est. Quae deci-  
piunt nihil habent solidi. Tenue est mendacium: perlucet si diligenter inspexeris.  
15 Vale.

*Seneca epist. 113*

[...] (§31) [...] Nihil sit illi cum ambitione famaue: sibi placeat. Hoc ante omnia  
sibi quisque persuadeat: me iustum esse gratis oportet. Parum est. Adhuc illud  
3 persuadeat sibi: me in hanc pulcherrimam virtutem ultro etiam inpendere iuvat;  
tota cogitatio a privatis commodis quam longissime aversa sit. Non est quod  
spectes quod sit iustae rei praemium: maius in iusto est. (§32) Illud adhuc tibi  
6 adfige quod paulo ante dicebam, nihil ad rem pertinere quam multi aequitatem  
tuam noverint. Qui virtutem suam publicari vult non virtuti laborat sed gloriae.  
Non vis esse iustus sine gloria? at mehercules saepe iustus esse debebis cum  
9 infamia, et tunc, si sapis, mala opinio bene parta delectet. Vale.

*Plinius 3,7*

C. Plinius Caninio suo s. ] Modo nuntiatum est Silius Italicus in Neapolitano suo inedia finisse vitam. [...] [...] (§10) Illud etiam notabile: ultimus ex Neronianis consularibus obiit, quo consule Nero periit. Quod me recordantem fragilitatis humanae miseratio subit. (§11) Quid enim tam circumcisum, tam breve quam hominis vita longissima? An non videtur tibi Nero modo modo fuisse? cum interim ex iis, qui sub illo gesserant consulatum, nemo iam superest. (§12) Quamquam quid hoc miror? Nuper L. Piso, pater Pisonis illius, qui Valerius Festo per summum facinus in Africa occisus est, dicere solebat neminem se videre in senatu, quem consul ipse sententiam rogavisset. (§13) Tam angustis terminis tantae multitudinis vivacitas ipsa concluditur, ut mihi non venia solum dignae, verum etiam laude videantur illae regiae lacrimae; nam ferunt Xersen, cum immensum exercitum oculis obisset, illacrimasse, quod tot milibus tam brevis immineret occasus. (§14) Sed tanto magis hoc, quidquid est temporis futtilis et caduci, si non datur factis – nam horum materia in aliena manu –, certe studiis proferamus, et quatenus nobis denegatur diu vivere, relinquamus aliquid, quo nos vixisse testemur. (§15) Scio te stimulis non egere: me tamen tui caritas evocat, ut currentem quoque instigem, sicut tu soles me. ἀγαθὴ δ᾽ ἔρις (*Hes. op. 24*), cum invicem se mutuis exhortationibus amici ad amorem immortalitatis exacuunt. Vale.

*Plinius 9,3*

C. Plinius Paulino suo s.] Alius aliud, ego beatissimum existimo, qui bonae mansuraeque famae praesumptione perfruitur certusque posteritatis cum futura gloria vivit. ac mihi nisi praemium aeternitatis ante oculos, pingue illud altumque otium placeat. (§2) etenim omnes homines arbitror oportere aut immortalitatem suam aut mortalitatem cogitare et illos quidem contendere, eniti, hos quiescere, remitti nec brevem vitam caducis laboribus fatigare, ut video multos misera simul et ingrata imagine industriae ad vilitatem sui pervenire. (§3) haec ego tecum, quae cottidie tecum, ut desinam tecum, si dissenties tu; quamquam non dissenties, ut qui semper clarum aliquid et immortale meditare. vale

Plinius 9,19

*Vindex startete als Statthalter von Gallia Lugdunensis eine Revolte gegen Nero, die von Verginius niedergeschlagen wurde. – Verginius war 68/69 Legat in Obergermanien; seine Truppen wollten ihn zum Princeps ausrufen, aber er lehnte ab*

C. Plinius Rusoni suo s. ] Significas legisse te in quadam epistula mea (cf. 2,1; 6,10) iussisse Verginium Rufum inscribi sepulcro suo: „Hic situs est Rufus, pulso  
3 qui Vindice quondam / imperium adseruit non sibi sed patriae.” Reprehendis  
quod iusserit, addis etiam melius rectiusque Frontinum, quod vetuerit omnino  
monumentum sibi fieri, meque ad extremum quid de utroque sentiam consulis.  
6 (§2) Utrumque dilexi, miratus sum magis quem tu reprehendis, atque ita miratus  
ut non putarem satis umquam posse laudari, cuius nunc mihi subeunda defensio  
est. (§3) Omnes ego qui magnum aliquid memorandumque fecerunt, non modo  
9 venia verum etiam laude dignissimos iudico, si immortalitatem quam meruere  
sectantur, victurique nominis famam supremis etiam titulis prorogare nituntur.  
12 (§4) Nec facile quemquam nisi Verginium invenio, cuius tanta in praedicando  
verecundia quanta gloria ex facto. (§5) Ipse sum testis, familiariter ab eo dilec-  
tus probatusque, semel omnino me audiente provectum, ut de rebus suis hoc  
unum referret, ita secum aliquando Cluvium (*Geschichtsschreiber, von Tacitus  
15 als Quelle genannt*) locutum: „Scis, Vergini, quae historiae fides debeat;  
proinde si quid in historiis meis legis aliter ac velis rogo ignoscas.” Ad hoc ille:  
„Tunc ignoras, Cluvi, ideo me fecisse quod feci, ut esset liberum vobis scribere  
18 quae libuisset?” (§6) Age dum, hunc ipsum Frontinum in hoc ipso, in quo tibi  
parcior videtur et pressior, comparemus. Vetuit exstrui monumentum, sed qui-  
bus verbis? „Impensa monumenti supervacua est; memoria nostri durabit, si vita  
21 meruimus.” An restrictius arbitraris per orbem terrarum legendum dare dura-  
turam memoriam suam quam uno in loco duobus versibus signare quod feceris?  
24 (§7) Quamquam non habeo propositum illum reprehendendi, sed hunc tuendi;  
cuius quae potest apud te iustior esse defensio, quam ex collatione eius quem  
praetulisti? (§8) Meo quidem iudicio neuter culpandus, quorum uterque ad  
gloriam pari cupiditate, diverso itinere contendit, alter dum expetit debitos  
27 titulos, alter dum mavult videri contempsisse. Vale

## SENECTUS

### *Seneca epist. 12*

Quocumque me verti, argumenta senectutis meae video. Veneram in suburba-  
num meum et querebar de inpensis aedificii dilabentis. Ait vilicus mihi non esse  
3 neglegentiae suae vitium, omnia se facere, sed villam veterem esse. Haec villa  
inter manus meas crevit: quid mihi futurum est, si tam putria sunt aetatis meae  
saxa? [...] [...] (§4) Debeo hoc suburbano meo, quod mihi senectus mea quo-  
6 cumque adverteram apparuit. Complectamur illam et amemus; plena <est>  
voluptatis, si illa scias uti. Gratissima sunt poma cum fugiunt; pueritiae maximus  
in exitu decor est; deditos vino potio extrema delectat, illa quae mergit, quae  
9 ebrietati summam manum imponit; (§5) quod in se iucundissimum omnis volup-  
tas habet in finem sui differt. Iucundissima est aetas devexa iam, non tamen  
praeceps, et illam quoque in extrema tegula stantem iudico habere suas volup-  
12 tates; aut hoc ipsum succedit in locum voluptatum, nullis egere. Quam dulce est  
cupiditates fatigasse ac reliquisse! (§6) ‘Molestum est’ inquis ‘mortem ante  
oculos habere.’ Primum ista tam seni ante oculos debet esse quam iuveni – non  
15 enim citamur ex censu –; deinde nemo tam senex est ut improbe unum diem  
speret. Unus autem dies gradus vitae est. Tota aetas partibus constat et orbis  
habet circumductos maiores minoribus [...].

### *Seneca epist. 49*

[...] (§2) Modo amisisse te videor; quid enim non ‘modo’ est, si recorderis?  
Modo apud Sotionem philosophum puer sedi, modo causas agere coepi, modo  
3 desii velle agere, modo desii posse. Infinita est velocitas temporis, quae magis  
apparet respicientibus. Nam ad praesentia intentos fallit; adeo praecipitis fugae  
transitus lenis est. (§3) Causam huius rei quaeris? quidquid temporis transit  
6 eodem loco est; pariter aspicitur, una iacet; omnia in idem profundum cadunt.  
Et alioqui non possunt longa intervalla esse in ea re quae tota brevis est. Punc-  
tum est quod vivimus et adhuc puncto minus; sed et hoc minimum specie qua-  
9 dam longioris spatii natura derisit: aliud ex hoc infantiam fecit, aliud pueritiam,  
aliud adulescentiam, aliud inclinationem quandam ab adulescentia ad senec-  
tutem, aliud ipsam senectutem. In quam angusto quodam quot gradus posuit!  
12 (§4) Modo te prosecutus sum; et tamen hoc ‘modo’ aetatis nostrae bona portio  
est, cuius brevitatem aliquando defecturam cogitemus. Non solebat mihi tam  
velox tempus videri: nunc incredibilis cursus apparet, sive quia admoveri lineas  
15 sentio, sive quia attendere coepi et computare damnum meum.  
Eo magis itaque indignor aliquos ex hoc tempore quod sufficere ne ad  
necessaria quidem potest, (§5) etiam si custoditum diligentissime fuerit, in  
18 supervacua maiorem partem erogare.

*Seneca epist. 58*

[...] Nemo nostrum idem est in senectute qui fuit iuvenis; nemo nostrum est idem mane qui fuit pridie. Corpora nostra rapiuntur fluminum more. Quidquid  
3 vides currit cum tempore; nihil ex iis quae videmus manet; ego ipse, dum loquor mutari ista, mutatus sum. (§23) Hoc est quod ait Heraclitus: ‘in idem flumen bis descendimus et non descendimus’. Manet enim idem fluminis nomen, aqua  
6 transmissa est. Hoc in anme manifestius est quam in homine; sed nos quoque non minus velox cursus praetervehit, et ideo admiror dementiam nostram, quod tantopere amamus rem fugacissimam, corpus, timemusque ne quando moriamur,  
9 cum omne momentum mors prioris habitus sit: vis tu non timere ne semel fiat quod cotidie fit! (§24) De homine dixi, fluvida materia et caduca et omnibus obnoxia causis: mundus quoque, aeterna res et invicta, mutatur nec idem manet.  
12 Quamvis enim omnia in se habeat quae habuit, aliter habet quam habuit: ordinem mutat.

\*\*\*

*Plinius 3,1*

C. Plinius Calvisio suo s. ] [...] (§11) Hanc ego vitam voto et cogitatione praesumo, ingressurus avidissime, ut primum ratio aetatis receptui canere permiserit.  
3 interim mille laboribus conteror, quorum mihi et solacium et exemplum est idem Spurinna; (§12) nam ille quoque, quoad honestum fuit, obiit officia, gessit magistratus, provincias rexit multoque labore hoc otium meruit. Igitur eundem  
6 mihi cursum, eundem terminum statuo idque iam nunc apud te subsigno, ut, si me longius evehi videris, in ius voces ad hanc epistulam meam et quiescere iubeas, cum inertiae crimen effugero. Vale

*Plinius 4,23*

C. Plinius Basso suo s.] Magnam cepi voluptatem, cum ex communibus amicis cognovi te, ut sapientia tua dignum est, et disponere otium et ferre, habitare  
3 amoenissime et nunc terra, nunc mari corpus agitare, multum disputare, multum audire, multum lectitare, cumque plurimum scias, cotidie tamen aliquid addiscere. (§2) Ita senescere oportet virum, qui magistratus amplissimos gesserit,  
6 exercitus rexerit totumque se rei publicae, quam diu decebat, obtulerit. (§3) Nam et prima vitae tempora et media patriae, extrema nobis impertire debemus, ut ipsae leges monent, quae maiorem annis otio reddunt. (§4) Quando  
9 mihi licebit, quando per aetatem honestum erit imitari istud pulcherrimae quietis exemplum? Quando secessus mei non desidia nomen, sed tranquillitatis accipient? Vale

*Plin. 4,24*

C. Plinius Fabio Valenti suo s.] Proxime cum apud centumviros in quadruplici iudicio dixissem, subiit recordatio egisse me iuvenem aequae in quadruplici.

3 (§2) Processit animus ut solet longius: coepi reputare quos in hoc iudicio, quos in illo socios laboris habuissem. Solus eram qui in utroque dixissem: tantas conversiones aut fragilitas mortalitatis aut fortunae mobilitas facit.

6 (§3) Quidam ex iis qui tunc egerant decesserunt, exsulant alii; huic aetas et valetudo silentium suasit, hic sponte beatissimo otio fruitur; alius exercitum regit, illum civilibus officiis principis amicitia exemit. (§4) Circa nos quam multa  
9 mutata sunt! Studiis processimus, studiis periclitati sumus, rursusque processimus; (§5) profuerunt nobis bonorum amicitiae, bonorum obfuerunt iterumque prosunt. Si computes annos, exiguum tempus, si vices rerum, aevum putes; (§6)  
12 quod potest esse documento nihil desperare, nulli rei fidere, cum videamus tot varietates tam volubili orbe circumagi. (§7) Mihi autem familiare est omnes cogitationes meas tecum communicare, isdemque te vel praeceptis vel exemplis  
15 monere, quibus ipse me moneo; quae ratio huius epistulae fuit. Vale



## AFFEKTE : spes, metus, dolor ...

### *Seneca epist. 5*

[...] (§7) [...] apud Hecatonem (*Stoiker, 1. Jh. v.*) nostrum inveni cupiditatum finem etiam ad timoris remedia proficere. „Desines” inquit „timere, si sperare  
3 desieris.” Dices, „quomodo ista tam diversa pariter sunt?” Ita est, mi Lucili: cum videantur dissidere, coniuncta sunt. Quemadmodum eadem catena et custodiam et militem copulat, sic ista quae tam dissimilia sunt pariter incedunt: spem metus sequitur. (§8) Nec miror ista sic ire: utrumque pendentis animi est, utrumque  
6 futuri expectatione solliciti. Maxima autem utriusque causa est quod non ad praesentia aptamur sed cogitationes in longinqua praemittimus; itaque providentia, maximum bonum condicionis humanae, in malum versa est. (§9) Ferae pericula quae vident fugiunt, cum effugere, securae sunt: nos et venturo torque-  
9 mur et praeterito. Multa bona nostra nobis nocent; timoris enim tormentum memoria reducit, providentia anticipat; nemo tantum praesentibus miser est.  
12 Vale

### *Seneca epist. 7*

[...] (§6) Subducendus populo est tener animus et parum tenax recti: facile transitur ad plures. Socrati et Catoni et Laelio excutere morem suum dissimilis  
3 multitudo potuisset: adeo nemo nostrum, qui cum maxime concinnamus ingenium, ferre impetum vitiorum tam magno comitatu venientium potest.  
(§7) Unum exemplum luxuriae aut avaritiae multum mali facit: convictor  
6 delicatus paulatim enervat et mollit, vicinus dives cupiditatem irritat, malignus comes quamvis candido et simplici rubiginem suam affricuit: quid tu accidere his moribus credis in quos publice factus est impetus? (§8) Necessesse est aut imiteris aut oderis. Utrumque autem devitandum est: neve similis malis fias, quia  
9 multi sunt, neve inimicus multis, quia dissimiles sunt. Recede in te ipse quantum potes; cum his versare qui te meliorem facturi sunt, illos admitte quos tu potes  
12 facere meliores. Mutuo ista fiunt, et homines dum docent discunt. (§9) Non est quod te gloria publicandi ingenii producat in medium, ut recitare istis velis aut disputare; quod facere te vellem, si haberes isti populo idoneam mercem: nemo  
15 est qui intellegere te possit. Aliquis fortasse, unus aut alter incidet, et hic ipse formandus tibi erit instituendusque ad intellectum tui. ‘Cui ergo ista didici?’ Non est quod timeas ne operam perdidideris, si tibi didicisti. [...]

*Plinius 2,2*

C. Plinius Paulino suo s.] (§1) Irascor, nec liquet mihi an debeam, sed irascor.  
Scis, quam sit amor iniquus interdum, impotens saepe, <sup>ἡ μικραΐτιος</sup> semper.  
3 Haec tamen causa magna est, nescio an iusta; sed ego, tamquam non minus  
iusta quam magna sit, graviter irascor, quod a te tam diu litterae nullae.  
(§2) Exorare me potes uno modo, si nunc saltem plurimas et longissimas  
6 miseris. Haec mihi sola excusatio vera, ceterae falsae videbuntur. Non sum  
auditurus ‘non eram Romae’ vel ‘occupator eram’; illud enim nec di sinant, ut  
‘infirmior’. Ipse ad villam partim studiis partim desidia fruor, quorum utrumque  
9 ex otio nascitur. Vale.

*Plinius 6,6*

C. Plinius Fundano suo s.] Si quando, nunc praecipue cuperem esse te Romae,  
et sis rogo. Opus est mihi voti laboris sollicitudinis socio. Petit honores Iulius  
3 Naso; petit cum multis, cum bonis, quos ut gloriosum sic est difficile superare.  
(§2) Pendeo ergo et exerceor spe, adficior metu et me consularem esse non  
sentio; nam rursus mihi videor omnium quae decucurri candidatus. Meretur  
6 hanc curam longa mei caritate [...] [...]

*Plinius 7,26*

C. Plinius Maximo suo s.] Nuper me cuiusdam amici languor admonuit  
optimos esse nos, dum infirmi sumus. quem enim infirmum aut avaritia aut  
3 libido sollicitat? (§2) non amoribus servit, non appetit honores, opes negligit et  
quantulumcumque ut relicturus satis habet. tunc deos, tunc hominem esse se  
meminit, invidet nemini, neminem miratur, neminem despicit ac ne sermonibus  
6 quidem malignis aut attendit aut alitur; balinea imaginatur et fontes. (§3) haec  
summa curarum, summa votorum mollemque in posterum et pinguem, si  
contingat evadere, hoc est innoxiam beatamque destinat vitam.  
9 (§4) Possum ergo, quod plurimis verbis, plurimis etiam voluminibus  
philosophi docere conantur, ipse breviter tibi mihi que praecipere, ut tales esse  
sani perseveremus, quales nos futuros profiteamur infirmi. vale.

*Plinius 9,24*

C. Plinius Sabiniano suo s.] Bene fecisti quod libertum aliquando tibi carum  
reducentibus epistulis meis in domum, in animum recepisti. Iuvabit hoc te; me  
3 certe iuvat, primum quod te tam tractabilem video, ut in ira regi possis, deinde  
quod tantum mihi tribuis, ut vel auctoritati meae pareas vel precibus indulgeas.  
Igitur et laudo et gratias ago; simul in posterum moneo, ut te erroribus tuorum,  
6 etsi non fuerit qui deprecetur, placabilem praestes. Vale

*Plinius 6,4*

*Calpurnia ist Plinius' Ehefrau*

C. Plinius Calpurniae suae s.] Numquam sum magis de occupationibus meis  
questus, quae me non sunt passae aut proficiscentem te valetudinis causa in  
3 Campaniam prosequi aut profectam e vestigio subsequi. (§2) Nunc enim prae-  
cipue simul esse cupiebam, ut oculis meis crederem quid viribus, quid corpus-  
culo adparares, ecquid denique secessus voluptates regionisque abundantiam  
6 inoffensa transmitteres. (§3) Equidem etiam fortem te non sine cura desidera-  
rem; est enim suspensum et anxium de eo quem ardentissime diligas interdum  
nihil scire. (§4) Nunc vero me cum absentiae tum infirmitatis tuae ratio incerta  
9 et varia sollicitudine exterret. Vereor omnia, imaginor omnia, quaeque natura  
metuentium est, ea maxime mihi quae maxime abominor fingo. (§5) Quo impen-  
suis rogo, ut timori meo cottidie singulis vel etiam binis epistulis consulas. Ero  
12 enim securior dum lego, statimque timebo cum legero. Vale

*Plinius 1,12*

C. Plinius Tironi suo s. ] Iacturam gravissimam feci, si iactura dicenda est tanti viri amissio. Decessit Corellius Rufus et quidem sponte, quod dolorem meum  
3 exulcerat. Est enim luctuosissimum genus mortis, quae non ex natura nec fatalis videtur. (§2) Nam utcumque in illis qui morbo finiuntur, magnum ex ipsa necessitate solacium est; in iis vero quos accersita mors aufert, hic insanabilis dolor  
6 est, quod creduntur potuisse diu vivere. [...] [...] (§9) Increverat valetudo, quam temperantia mitigare temptavit; perseverantem constantia fugit. Iam dies alter tertius quartus: abstinebat cibo. Misit ad me uxor eius Hispulla communem  
9 amicum C. Geminium cum tristissimo nuntio, destinasse Corellium mori nec aut suis aut filiae precibus inflecti; solum superesse me, a quo revocari posset ad vitam. (§10) Cucurri. Perveneram in proximum, cum mihi ab eadem Hispulla  
12 Iulius Atticus nuntiat nihil iam ne me quidem impetraturum: tam obstinate magis ac magis induruisse. Dixerat sane medico admoventi cibum: «κέκρικα», quae vox quantum admirationis in animo meo tantum desiderii reliquit.  
15 (§11) Cogito quo amico, quo viro caream. Implevit quidem annum septimum et sexagensimum, quae aetas etiam robustissimis satis longa est; scio. Evasit perpetuam valetudinem; scio. Decessit superstitibus suis, florente re publica,  
18 quae illi omnibus carior erat; et hoc scio. (§12) Ego tamen tamquam et iuvenis et firmissimi mortem doleo, doleo autem – licet me imbecillum putes – meo nomine. Amisi enim, amisi vitae meae testem rectorem magistrum. In summa  
21 dicam, quod recenti dolore contubernali meo Calvisio dixi: ‘Vereor ne negligentius vivam.’ (§13) Proinde adhibe solacia mihi, non haec: ‘Senex erat, infirmus erat’ – haec enim novi –, sed nova aliqua, sed magna, quae audierim  
24 numquam, legerim numquam. Nam quae audivi quae legi sponte succurrunt, sed tanto dolore superantur. Vale.

## sensus communis et humanitas

### *Seneca epist. 5*

Quod pertinaciter studes et omnibus omissis hoc unum agis, ut te meliorem  
cotidie facis, et probo et gaudeo, nec tantum hortor ut perseveres sed etiam  
3 rogo. Illud autem te admoneo, ne eorum more, qui non proficere sed conspici  
cupiunt, facias aliqua quae in habitu tuo aut genere vitae notabilia sint;  
(§2) asperum cultum et intonsum caput et neglegentiolem barbam et indictum  
6 argento odium et cubile humi positum et quidquid aliud ambitionem perversa  
via sequitur evita. Satis ipsum nomen philosophiae, etiam si modeste tractetur,  
invidiosum est: quid si nos hominum consuetudini coeperimus excerpere? Intus  
9 omnia dissimilia sint, frons populo nostra conveniat. (§3) Non splendeat toga,  
ne sordeat quidem; non habeamus argentum in quod solidi auri caelatura de-  
scenderit, sed non putemus frugalitatis indicium auro argentoque caruisse. Id  
12 agamus ut meliorem vitam sequamur quam vulgus, non ut contrariam; [...] (§4)  
Hoc primum philosophia promittit, sensum communem, humanitatem et con-  
gregationem; a qua professione dissimilitudo nos separabit.

### *Seneca epist. 7*

Quid tibi vitandum praecipue existimes quaeris? turbam. Nondum illi tuto  
committeris. Ego certe confitebor imbecillitatem meam: numquam mores quos  
3 extuli refero; aliquid ex eo quod composui turbatur, aliquid ex iis quae fugavi  
redit. Quod aegris evenit quos longa imbecillitas usque eo affecit ut nusquam  
sine offensa proferantur, hoc accidit nobis quorum animi ex longo morbo refi-  
6 ciuntur. (§2) Inimica est multorum conversatio: nemo non aliquod nobis vitium  
aut commendat aut imprimit aut nescientibus adlinit. Utique quo maior est  
populus cui miscemur, hoc periculi plus est. Nihil vero tam damnosum bonis  
9 moribus quam in aliquo spectaculo desiderare; tunc enim per voluptatem facilius  
vitia subrepunt. (§3) Quid me existimas dicere? avarior redeo, ambitiosior,  
luxoriosior? immo vero crudelior et inhumanior, quia inter homines fui. Casu in  
12 meridianum spectaculum incidi, lusus exspectans et sales et aliquid laxamenti  
quo hominum oculi ab humano cruore acquiescant. Contra est: quidquid ante  
pugnatum est misericordia fuit; nunc omissis nugis mera homicidia sunt. [...]

*Seneca epist. 18*

December est mensis: cum maxime civitas sudat. Ius luxuriae publice datum est; ingenti apparatu sonant omnia [...]. (§2) Si te hic haberem, libenter tecum  
3 conferrem quid existimares esse faciendum, utrum nihil ex cotidiana consue-  
tudine movendum an, ne dissidere videremur cum publicis moribus, et hilarius  
cenandum et exuendam togam. Nam quod fieri nisi in tumultu et tristi tempore  
6 civitatis non solebat, voluptatis causa ac festorum dierum vestem mutavimus.  
(§3) Si te bene novi, arbitri partibus functus nec per omnia nos similes esse  
pilleatae turbae voluisses nec per omnia dissimiles; nisi forte his maxime diebus  
9 animo imperandum est, ut tunc voluptatibus solus abstineat cum in illas omnis  
turba procubuit; certissimum enim argumentum firmitatis suae capit, si ad  
blanda et in luxuriam trahentia nec ita nec abducitur. (§4) Hoc multo fortius est,  
12 ebrio ac vomitante populo siccum ac sobrium esse, illud temperantius, non  
excerpere se nec insignire nec misceri omnibus et eadem sed non eodem modo  
facere; licet enim sine luxuria agere festum diem.

\*\*\*

*Plinius 6,34*

C. Plinius Maximo suo s.] Recte fecisti, quod gladiatorium munus Veronen-  
sibus nostris promisisti, a quibus olim amaris, suspiceris, ornaris. inde etiam  
3 uxorem carissimam tibi et probatissimam habuisti, cuius memoriae aut opus  
aliquod aut spectaculum atque hoc potissimum, quod maxime funeri, debebatur.  
(§2) praeterea tanto consensu rogaberis, ut negare non constans, sed durum  
6 videretur. illud quoque egregie, quod tam facilis, tam liberalis in edendo fuisti.  
nam per haec etiam magnus animus ostenditur. – (§3) vellem Africanæ (= *wilde*  
*Tiere*), quas coemeras plurimas, ad praefinitum diem occurrissent; sed, licet  
9 cessaverint illae tempestate detentae, tu tamen meruisti, ut acceptum tibi fieret,  
quod, quo minus exhiberes, non per te stetit. vale.

*Plinius 8,22*

C. Plinius Gemino suo s.] Nostine hos qui omnium libidinum servi, sic aliorum  
vitiis irascuntur quasi invideant, et gravissime puniunt, quos maxime imitantur?  
3 cum eos etiam, qui non indigent clementia ullius, nihil magis quam lenitas  
deceat. (§2) Atque ego optimum et emendatissimum existimo, qui ceteris ita  
ignoscit, tamquam ipse cotidie peccet, ita peccatis abstinet tamquam nemini  
6 ignoscat. (§3) Proinde hoc domi hoc foris hoc in omni vitae genere teneamus, ut

nobis implacabiles simus, exorabiles istis etiam qui dare veniam nisi sibi ne-  
sciunt, mandemusque memoriae quod vir mitissimus et ob hoc quoque maximus  
9 Thrasea crebro dicere solebat: „Qui vitia odit, homines odit.” Quaeris fortasse  
quo commotus haec scribam. (§4) Nuper quidam – sed melius coram; quam-  
quam ne tunc quidem. Vereor enim ne id, quod improbo, consecrari carpere  
12 referre huic, quod cum maxime praecipimus, repugnet. Quisquis ille qualiscum-  
que sileatur, quem insignire exempli nihil, non insignire humanitatis plurimum  
refert. Vale

*Plinius 9,12*

C. Plinius Iuniori suo s. ] Castigabat quidam filium suum quod paulo sumptuo-  
sius equos et canes emeret. Huic ego iuvene digresso: „Heus tu, numquamne  
3 fecisti, quod a patre corripere posset? ‘Fecisti’ dico? Non interdum facis quod  
filius tuus, si repente pater ille tu filius, pari gravitate reprehendat? Non omnes  
homines aliquo errore ducuntur? Non hic in illo sibi, in hoc alius indulget?”  
6 (§2) Haec tibi admonitus immodicae severitatis exemplo, pro amore mutuo  
scripsi, ne quando tu quoque filium tuum acerbius duriusque tractares. Cogita et  
illum puerum esse et te fuisse, atque ita hoc quod es pater utere, ut memineris et  
9 hominem esse te et hominis patrem. Vale

*Plinius 9,17*

C. Plinius Genitori suo s.] Reperi litteras tuas quibus quereris taedio tibi fuisse  
quamvis lautissimam cenam, quia scurrae cinaedi moriones mensis inerrabant.  
3 (§2) vis tu remittere aliquid ex rugis? Equidem nihil tale habeo, habentes tamen  
fero. Cur ergo non habeo? Quia nequaquam me ut inexpectatum festumve  
delectat, si quid molle a cinaedo, petulans a scurra, stultum a morione profertur.  
6 (§3) Non rationem sed stomachum tibi narro. Atque adeo quam multos putas  
esse, quos ea quibus ego et tu capimur et ducimur, partim ut inepta partim ut  
molestissima offendant! Quam multi, cum lector aut lyristes aut comoedus in-  
9 ductus est, calceos poscunt aut non minore cum taedio recubant, quam tu ista  
(sic enim adpellas) prodigia perpessus es! (§4) Demus igitur alienis oblecati-  
onibus veniam, ut nostris impetremus. Vale.

*Plinius 9,6*

C. Plinius Calvisio suo s.] Omne hoc tempus inter pugillares ac libellos iucundissima quiete transmisi. „quem ad modum“ inquis „in urbe potuisti?“ circenses  
3 erant, quo genere spectaculi ne levissime quidem teneor. nihil novum, nihil  
varium, nihil, quod non semel spectasse sufficiat. (§2) quo magis miror tot milia  
virorum tam pueriliter identidem cupere currentes equos, insistentes curribus  
6 homines videre. si tamen aut velocitate equorum aut hominum arte traherentur,  
esset ratio non nulla; nunc favent panno (= *Tuch*, *ärmliches Kleid*), pannum  
amant, et si in ipso cursu medioque certamine hic color illuc, ille huc trans-  
9 feratur, studium favorque transibit et repente agitadores illos, equos illos, quos  
procul noscitant, quorum clamitant nomina, relinquunt. (§3) tanta gratia, tanta  
auctoritas in una vilissima tunica, mitto apud vulgus, quod vilius tunica, sed  
12 apud quosdam graves homines; quos ego cum recordor in re inani, frigida,  
adsidua tam insatiabiliter desiderare, capio aliquam voluptatem, quod hac volup-  
tate non capior. (§4) ac per hos dies libentissime otium meum in litteris colloco,  
15 quos alii otiosissimis occupationibus perdunt. vale.



## Bücher lesen und schreiben

### *Seneca epist. 2*

Ex iis quae mihi scribis et ex iis quae audio bonam spem de te concipio: non discurreis nec locorum mutationibus inquietaris. Aegri animi ista iactatio est:  
3 primum argumentum compositae mentis existimo posse consistere et secum morari. (§2) Illud autem vide, ne ista lectio auctorum multorum et omnis generis voluminum habeat aliquid vagum et instabile. Certis ingeniis immorari et  
6 innutriri oportet, si velis aliquid trahere quod in animo fideliter sedeat. Nusquam est qui ubique est. Vitam in peregrinatione exigentibus hoc evenit, ut multa hospitia habeant, nullas amicitias; idem accidat necesse est iis qui nullius  
9 se ingenio familiariter applicant sed omnia cursim et properantes transmittunt. (§3) Non prodest cibus nec corpori accedit qui statim sumptus emittitur; nihil aequae sanitatem impedit quam remediorum crebra mutatio; non venit vulnus ad  
12 cicatricem in quo medicamenta temptantur; non convalescit planta quae saepe transfertur; nihil tam utile est ut in transitu prosit. Distringit librorum multitudo; itaque cum legere non possis quantum habueris, satis est habere quantum legas.  
15 (§4) ‘Sed modo’ inquis ‘hunc librum evolvere volo, modo illum.’ Fastidientis stomachi est multa degustare; quae ubi varia sunt et diversa, inquinant non alunt. Probatos itaque semper lege, et si quando ad alios deverti libuerit, ad priores redi. Aliquid cotidie adversus paupertatem, aliquid adversus mortem auxili  
18 compara, nec minus adversus ceteras pestes; et cum multa percurreris, unum excerpe quod illo die concoquas. (§5) Hoc ipse quoque facio; ex pluribus quae  
21 legi aliquid apprehendo. [...]

### *Seneca epist. 8*

‘Tu me’ inquis ‘vitare turbam iubes, secedere et conscientia esse contentum? ubi illa praecepta vestra quae imperant in actu mori?’ Quid? ego tibi videor inertiam suadere? In hoc me recondidi et fores clusi, ut prodesse pluribus possem.  
3 Nullus mihi per otium dies exit; partem noctium studiis vindico; non vaco somno sed succumbo, et oculos vigilia fatigatos cadentesque in opere detineo.  
6 (§2) Secessi non tantum ab hominibus sed a rebus, et in primis a meis rebus: posterorum negotium ago. Illis aliqua quae possint prodesse conscribo; salutare admonitiones, velut medicamentorum utilium compositiones, litteris mando, esse  
9 illas efficaces in meis ulceribus expertus, quae etiam si persanata non sunt, serpere desierunt. (§3) Rectum iter, quod sero cognovi et lassus errando, aliis monstro. Clamo: „vitate quaecumque vulgo placent, quae casus attribuit; ad  
12 omne fortuitum bonum suspiciosi pavidi que subsistite. [...]. Contemnite omnia quae supervacua labor velut ornamentum ac decus ponit; cogitate nihil praeter animum esse mirabile, cui magno nihil magnum est.” (§6) Si haec mecum, si

15 haec cum posteris loquor, non videor tibi plus prodesse quam cum ad vadimo-  
nium advocatus descenderem aut tabulis testamenti anulum imprimerem aut in  
senatu candidato vocem et manum commodarem? Mihi crede, qui nihil agere  
18 videntur maiora agunt: humana divinaque simul tractant. [...]

*Plinius 1,3*

[...] (§3) Quin tu – tempus enim – humiles et sordidas curas aliis mandas, et  
ipse te in alto isto pinguique secessu studiis asseris? Hoc sit negotium tuum hoc  
3 otium; hic labor haec quies; in his vigilia, in his etiam somnus reponatur.  
(§4) Effinge aliquid et excude, quod sit perpetuo tuum. Nam reliqua rerum  
tuarum post te alium atque alium dominum sortientur, hoc numquam tuum  
6 desinet esse si semel coeperit. (§5) Scio quem animum, quod horter ingenium;  
tu modo enitere ut tibi ipse sis tanti, quanti videberis aliis si tibi fueris. Vale.

*Plinius 2,10*

C. Plinius Octavio suo s.] Hominem te patientem vel potius durum ac paene  
crudelem, qui tam insignes libros tam diu teneas! (§2) Quousque et tibi et nobis  
3 invidebis, tibi maxima laude, nobis voluptate? Sine per ora hominum ferantur  
isdemque quibus lingua Romana spatiis pervagentur. Magna et iam longa exspe-  
ctatio est, quam frustrari adhuc et differre non debes. (§3) Enotuerunt quidam  
6 tui versus, et invito te claustra sua refregerunt. Hos nisi retrahis in corpus, quan-  
doque ut erroneas aliquem cuius dicantur invenient. (§4) Habe ante oculos mor-  
talitatem, a qua asserere te hoc uno monumento potes; nam cetera fragilia et  
9 caduca non minus quam ipsi homines occidunt desinuntque. (§5) Dices, ut  
soles: 'Amici mei viderint.' Opto equidem amicos tibi tam fideles tam eruditos  
tam laboriosos, ut tantum curae intentionisque suscipere et possint et velint, sed  
12 dispice ne sit parum providum, sperare ex aliis quod tibi ipse non praestes.  
(§6) Et de editione quidem interim ut voles: recita saltem quo magis libeat  
emittere, utque tandem percipias gaudium, quod ego olim pro te non temere  
15 praesumo. (§7) Imaginor enim qui concursus quae admiratio te, qui clamor,  
quod etiam silentium maneat; quo ego, cum dico vel recito, non minus quam  
clamore delector, sit modo silentium acre et intentum, et cupidum ulteriora  
18 audiendi. (§8) Hoc fructu tanto tam parato desine studia tua infinita ista  
cunctatione fraudare; quae cum modum excedit, verendum est ne inertiae et  
desidiae vel etiam timiditatis nomen accipiat. Vale.

*Plinius 5,5*

Nuntiatum mihi C. Fannium decessisse; qui nuntius me gravi dolore confudit, primum quod amavi hominem elegantem disertum, deinde quod iudicio eius uti solebam. Erat enim acutus natura, usu exercitatus, veritate promptissimus. (3) (2) Angit me super ista casus ipsius: decessit veteri testamento, omisit quos maxime diligebat, prosecutus est quibus offensior erat. Sed hoc utcumque tolerabile; gravius illud, quod pulcherrimum opus imperfectum reliquit. (6) (3) Quamvis enim agendis causis distringeretur, scribebat tamen „exitus occisorum aut relegatorum a Nerone“ et iam tres libros absolverat subtiles et diligentes et Latinos atque inter sermonem historiamque medios, ac tanto magis reliquos perficere cupiebat, quanto frequentius hi lectitabantur. (9) (4) Mihi autem videtur acerba semper et immatura mors eorum, qui immortale aliquid parant. (12) Nam qui voluptatibus dediti quasi in diem vivunt, vivendi causam cottidie finiunt; qui vero posteros cogitant et memoriam sui operibus extendunt, his nulla mors non repentina est, ut quae semper incohatum aliquid abrumpat. [...] (15) (7) Quod me recordantem miseratio subit, quantum vigiliarum, quantum laboris exhausserit frustra. Occursant animo mea mortalitas, mea scripta, nec dubito te quoque eadem cogitatione terreri pro istis, quae inter manus habes. (18) proinde, dum suppetit vita, enitatur, ut mors quam paucissima, quae abolere possit, inveniat.

*Plinius 8,19*

C. Plinius Maximo suo s.] Et gaudium mihi et solacium in litteris, nihilque tam laetum quod his laetius, tam triste quod non per has minus triste. Itaque et infirmitate uxoris et meorum periculo, quorundam vero etiam morte turbatus, ad unicum doloris levamentum studia confugi, quae praestant ut adversa magis intellegam sed patientius feram. (3) (2) Est autem mihi moris, quod sum daturus in manus hominum, ante amicorum iudicio examinare, in primis tuo. Proinde si (6) quando, nunc intende libro quem cum hac epistula accipies, quia vereor ne ipse ut tristis parum intenderim. Imperare enim dolori ut scriberem potui; ut vacuo (9) animo laetoque, non potui. Porro ut ex studiis gaudium sic studia hilaritate proveniunt. Vale

*Plinius 8,9*

C. Plinius Urso suo s. ] Olim non librum in manus, non stilum sumpsit, olim nescio quid sit otium quid quies, quid denique illud iners quidem, iucundum (3) tamen nihil agere nihil esse: adeo multa me negotia amicorum nec secedere nec studere patiuntur. (2) Nulla enim studia tanti sunt, ut amicitiae officium deseratur, quod religiosissime custodiendum studia ipsa praecipiant. Vale

## LEHRER / EXEMPLA

### *Seneca epist. 6*

[...] (§4) Concipere animo non potes quantum momenti affferri mihi singulos  
dies videam. ‘Mitte’ inquis ‘et nobis ista quae tam efficacia expertus es.’ Ego vero  
3 omnia in te cupio transfundere, et in hoc aliquid gaudeo discere, ut doceam; nec  
me ulla res delectabit, licet sit eximia et salutaris, quam mihi uni sciturus sum.  
Si cum hac exceptione detur sapientia, ut illam inclusam teneam nec enuntiem,  
6 reiciam: nullius boni sine socio iucunda possessio est. (§5) Mittam itaque ipsos  
tibi libros, et ne multum operae impendas dum passim profutura sectaris, impo-  
nam notas, ut ad ipsa protinus quae probo et miror accedas. Plus tamen tibi et  
9 viva vox et convictus quam oratio proderit; in rem praesentem venias oportet,  
primum quia homines amplius oculis quam auribus credunt, deinde quia longum  
iter est per praecepta, breve et efficax per exempla. (§6) Zenonem Cleanthes  
12 non expressisset, si tantummodo audisset: vitae eius interfuit, secreta perspexit,  
observavit illum, an ex formula sua viveret. Platon et Aristoteles et omnis in  
diversum itura sapientium turba plus ex moribus quam ex verbis Socratis traxit;  
15 Metrodorum et Hermarchum et Polyaeum magnos viros non schola Epicuri  
sed contubernium fecit. Nec in hoc te accerso tantum, ut proficias, sed ut prosis;  
plurimum enim alter alteri conferemus. [...]

### *Seneca epist. 11*

[...] (§8) Iam clausulam epistula poscit. Accipe, et quidem utilem ac salutarem  
quam te adfigere animo volo: „aliquis vir bonus nobis diligendus est ac semper  
3 ante oculos habendus, ut sic tamquam illo spectante vivamus et omnia tamquam  
illo vidente faciamus.” (§9) Hoc, mi Lucili, Epicurus praecepit; custodem nobis  
et paedagogum dedit, nec inmerito: magna pars peccatorum tollitur, si pecca-  
6 turis testis adsistit. Aliquem habeat animus quem vereatur, cuius auctoritate  
etiam secretum suum sanctius faciat. O felicem illum qui non praesens tantum  
sed etiam cogitatus emendat! O felicem qui sic aliquem vereri potest ut ad me-  
9 moriam quoque eius se componat atque ordinet! Qui sic aliquem vereri potest  
cito erit verendus. (§10) Elige itaque Catonem; si hic tibi videtur nimis rigidus,  
elige remissioris animi virum Laelium. Elige eum cuius tibi placuit et vita et  
12 oratio et ipse animum ante se ferens vultus; illum tibi semper ostende vel custo-  
dem vel exemplum. Opus est, inquam, aliquo ad quem mores nostri se ipsi exi-  
gant: nisi ad regulam prava non corriges. Vale

*Seneca epist. 34*

Cresco et exulto et discussa senectute recalesco quotiens ex iis quae agis ac scribis intellego quantum te ipse – nam turbam olim reliqueras – superieceris. Si  
3 agricolam arbor ad fructum perducta delectat, si pastor ex fetu gregis sui capit voluptatem, si alumnum suum nemo aliter intuetur quam ut adulescentiam illius suam iudicet, quid evenire credis iis qui ingenia educaverunt et quae tenera  
6 formaverunt adulta subito vident? (§2) Adsero te mihi; meum opus es. Ego cum vidissem indolem tuam, inieci manum, exhortatus sum, addidi stimulos nec lente ire passus sum sed subinde incitavi; et nunc idem facio, sed iam currentem  
9 hortor et invicem hortantem. [...]

*Sen. epist. 35*

Cum te tam valde rogo ut studeas, meum negotium ago: habere amicum volo, quod contingere mihi, nisi pergis ut coepisti excolere te, non potest. Nunc enim  
3 amas me, amicus non es. ‘Quid ergo? haec inter se diversa sunt?’ immo dissimilia. Qui amicus est amat; qui amat non utique amicus est; itaque amicitia semper prodest, amor aliquando etiam nocet. (§2) Si nihil aliud, ob hoc profice, ut amare discas. Festina ergo dum mihi proficis, ne istuc alteri didiceris. Ego quidem percipio iam fructum, cum mihi fingo uno nos animo futuros et quidquid aetati meae vigoris abscessit, id ad me ex tua, quamquam non multum  
6 abest, rediturum; [...].

\*\*\*

*Plinius 1,12*

C. Plinius Tironi suo s. ] [...] Decessit Corellius Rufus [...] (§11) Cogito quo amico, quo viro caream. Implevit quidem annum septimum et sexagensimum,  
3 quae aetas etiam robustissimis satis longa est; scio. Evasit perpetuam valetudinem; scio. Decessit superstitibus suis, florente re publica, quae illi omnibus carior erat; et hoc scio. (§12) Ego tamen tamquam et iuvenis et firmissimi mortem doleo, doleo autem – licet me imbecillum putes – meo nomine. Amisi enim,  
6 amisi vitae meae testem rectorem magistrum. In summa dicam, quod recenti dolore contubernali meo Calvisio dixi: ‘Vereor ne neglegentius vivam.’  
9 (§13) Proinde adhibe solacia mihi, non haec: ‘Senex erat, infirmus erat’ – haec enim novi –, sed nova aliqua, sed magna, quae audierim numquam, legerim numquam. Nam quae audivi, quae legi, sponte succurrunt, sed tanto dolore  
12 superantur. Vale.

*Plinius 8,13*

C. Plinius Geniali suo s.] Probo quod libellos meos cum patre legisti. Pertinet  
ad profectum tuum a disertissimo viro discere, quid laudandum, quid reprehendendum,  
3 simul ita institui, ut verum dicere adsuescas. (§2) Vides quem sequi,  
cuius debeas implere vestigia. O te beatum, cui contigit unum atque idem optimum  
et coniunctissimum exemplar, qui denique eum potissimum imitandum  
6 habes, cui natura esse te simillimum voluit. Vale

*Plinius 8,23*

C. Plinius Marcellino suo s.] Omnia mihi studia, omnes curas, omnia avocamenta  
exemit excussit eripuit dolor, quem ex morte Iuni Aviti gravissimum cepi.  
3 (§2) Latum clavum in domo mea induerat, suffragio meo adiutus in petendis  
honoribus fuerat; ad hoc ita me diligebat, ita verebatur, ut me formatore morum,  
me quasi magistro uteretur. (§3) Rarum hoc in adolescentibus nostris. Nam quotus  
6 quisque vel aetati alterius vel auctoritati ut minor cedit? Statim sapiunt,  
statim sciunt omnia, neminem verentur, neminem imitantur, atque ipsi sibi  
exempla sunt. Sed non Avitus, cuius haec praecipua prudentia, quod alios prudentiores  
9 arbitrabatur, haec praecipua eruditio quod discere volebat. [...]

*Plin. 8,14*

[...] (§4) Erat autem antiquitus institutum, ut a maioribus natu non auribus  
modo verum etiam oculis disceremus, quae facienda mox ipsi ac per vices  
3 quasdam tradenda minoribus haberemus. (§5) Inde adulescentuli statim castren-  
sibus stipendiis imbuebantur ut imperare parendo, duces agere dum sequuntur  
adsuescerent; inde honores petitori adsistebant curiae foribus, et consilii publici  
6 spectatores ante quam consortes erant. (§6) Suus cuique parens pro magistro,  
aut cui parens non erat maximus quisque et vetustissimus pro parente. Quae  
potestas referentibus, quod censentibus ius, quae vis magistratibus, quae ceteris  
9 libertas, ubi cedendum ubi resistendum, quod silentii tempus, quis dicendi mo-  
dus, quae distinctio pugnantium sententiarum, quae executio prioribus aliquid  
addentium, omnem denique senatorium morem – quod fidissimum percipiendi  
12 genus – exemplis docebantur. (§7) At nos iuvenes fuimus quidem in castris; sed  
cum suspecta virtus, inertia in pretio, cum ducibus auctoritas nulla, nulla mili-  
tibus verecundia, nusquam imperium nusquam obsequium, omnia soluta turbata  
15 atque etiam in contrarium versa, postremo obliviscenda magis quam tenenda.  
(§8) Iidem prospeximus curiam, sed curiam trepidam et elinguem, cum dicere  
quod velles periculosum, quod nolles miserum esset. Quid tunc disci potuit, quid  
18 didicisse iuvit, cum senatus aut ad otium summum aut ad summum nefas voca-  
retur, et modo ludibrio modo dolori retentus numquam seria, tristia saepe cense-  
ret? (§9) Eadem mala iam senatores, iam participes malorum multos per annos  
21 vidimus tulimusque; quibus ingenia nostra in posterum quoque hebetata fracta  
contusa sunt. (§10) Breve tempus – nam tanto brevius omne quanto felicius  
tempus – quo libet scire quid simus, libet exercere quod scimus. [...]

## PECUNIA

*Seneca ep. 17*

Proice omnia ista, si sapis, immo ut sapias, et ad bonam mentem magno cursu ac totis viribus tende; si quid est quo teneris, aut expedi aut incide. ‘Moratur’  
3 inquis ‘me res familiaris; sic illam disponere volo ut sufficere nihil agenti possit, ne aut paupertas mihi oneri sit aut ego alicui.’ (§2) Cum hoc dicis, non videris vim ac potentiam eius de quo cogitas boni nosse; et summam quidem rei pervi-  
6 des, quantum philosophia prosit, partes autem nondum satis subtiliter dispicis, necdum scis quantum ubique nos adiuvet, quemadmodum et in maximis, ut Ciceronis utar verbo, ‘opituletur’ et in minima descendat. Mihi crede, advoca  
9 illam in consilium: suadebit tibi ne ad calculos sedeas. (§3) Nempe hoc quaeris et hoc ista dilatione vis consequi, ne tibi paupertas timenda sit: quid si appetenda est? Multis ad philosophandum obstitere divitiae: paupertas expedita est,  
12 securae est. Cum classicum cecinit, scit non se peti; cum aqua conclamata est (= *bei Feuer*), quomodo exeat, non quid efferat, quaerit; si navigandum est, non strepunt portus nec unius comitatu inquieta sunt litora; non circumstat illam  
15 turba servorum, ad quos pascendos transmarinarum regionum est optanda fertilitas. (§4) Facile est pascere paucos ventres et bene institutos et nihil aliud desiderantes quam impleri: parvo fames constat, magno fastidium. Paupertas  
18 contenta est desiderii instantibus satis facere: quid est ergo quare hanc recuses contubernalem cuius mores sanus dives imitatur? (§5) Si vis vacare animo, aut pauper sis oportet aut pauperi similis. Non potest studium salutare fieri sine  
21 frugalitatis cura; frugalitas autem paupertas voluntaria est. Tolle itaque istas excusationes: ‘nondum habeo quantum sat est; si ad illam summam pervenero, tunc me totum philosophiae dabo’. Atqui nihil prius quam hoc parandum est  
24 quod tu differs et post cetera paras; ab hoc incipiendum est. ‘Parare’ inquis ‘unde vivam volo.’ Simul et parare te disce: si quid te vetat bene vivere, bene mori non vetat. (§6) Non est quod nos paupertas a philosophia revocet, ne egestas quidem. Toleranda est enim ad hoc properantibus vel fames; quam toleravere quidam in obsidionibus, et quod aliud erat illius patientiae praemium quam in arbitrium non cadere victoris? Quanto hoc maius est quod promittitur: perpetua  
27 libertas, nullius nec hominis nec dei timor. Ecquid vel esurienti ad ista veniendum est? [...]



*Seneca ep. 20*

[...] (§7) 'Quid fiet' inquis 'huic turbae familiarium sine re familiari?' Turba ista cum a te pasci desierit, ipsa se pascet, aut quod tu beneficio tuo non potes scire, paupertatis scies: illa veros certosque amicos retinebit, discedet quisquis non te se aliud sequebatur. Non est autem vel ob hoc unum amanda paupertas, quod a quibus ameris ostendet? O quando ille veniet dies quo nemo in honorem tuum mentiatur! (§8) Huc ergo cogitationes tuae tendant, hoc cura, hoc opta, omnia alia vota deo remissurus, ut contentus sis temet ipso et ex te nascentibus bonis. Quae potest esse felicitas propior? Redige te ad parva ex quibus cadere non possis, idque ut libentius facias, [...].

*Plinius 1,8*

*Plinius hat seiner Heimtastadt Comum eine Bibliothek gestiftet und anlässlich der Einweihung eine Rede gehalten; nun bittet er den Adressaten, diese Rede für die Veröffentlichung zu korrigieren; allerdings zögert er noch, ob er sie wirklich veröffentlichen sollte.*

[...] (§8) Ac, ne longius exempla repetamus, quid utilius fuit quam munificentiae rationem etiam stilo prosequi? Per hoc enim assequeremur, primum ut honestis cogitationibus immoraremur, deinde ut pulchritudinem illarum longiore tractatu pervideremus, postremo ut subitae largitionis comitem paenitentiam caveremus. Nascetur ex his exercitatio quaedam contemnendae pecuniae. (§9) Nam cum omnes homines ad custodiam eius natura restrinxerit, nos contra multum ac diu pensitatus amor liberalitatis communibus avaritiae vinculis eximebat, tantoque laudabilior munificentia nostra fore videbatur, quod ad illam non impetu quodam, sed consilio trahebamur. (§10) Accedebat his causis, quod non ludos aut gladiatores, sed annuos sumptus in alimenta ingenuorum pollicebamur. Oculorum porro et aurium voluptates adeo non egent commendatione, ut non tam incitari debeant oratione quam reprimi; (§11) ut vero aliquis libenter educationis taedium laboremque suscipiat, non praemiis modo verum etiam exquisitis adhortationibus impetrandum est. (§12) Nam si medici salubres sed voluptate carentes cibos blandioribus alloquiis prosequuntur, quanto magis decuit publice consulentem utilissimum munus, sed non perinde populare, comitate orationis inducere? praesertim cum enitendum haberemus, ut quod parentibus dabatur et orbis probaretur, honoremque paucorum ceteri patienter et exspectarent et mererentur. (§13) Sed ut tunc communibus magis commodis quam privatae iactantiae studebamus, cum intentionem effectumque muneris nostri vellemus intellegi, ita nunc in ratione edendi veremur, ne forte non aliorum utilitatibus sed propriae laudi servisse videamur.

(§14) Praeterea meminimus quanto maiore animo honestatis fructus in consci-  
24 entia quam in fama reponatur. Sequi enim gloria, non appeti debet, nec, si casu  
aliquo non sequatur, idcirco quod gloriam meruit minus pulchrum est. (§15) Ii  
vero, qui benefacta sua verbis adornant, non ideo praedicare quia fecerint, sed  
27 ut praedicarent fecisse creduntur. Sic quod magnificum referente alio fuisset,  
ipso qui gesserat recensente vanescit; homines enim cum rem destruere non  
possunt, iactationem eius incessunt. Ita si silenda feceris, factum ipsum, si lau-  
30 danda non sileas, ipse culparis. (§16) Me vero peculiaris quaedam impedit ratio.  
Etenim hunc ipsum sermonem non apud populum, sed apud decuriones habui,  
nec in propatulo sed in curia. (§17) Vereor ergo ut sit satis congruens, cum in  
33 dicendo assentationem vulgi acclamationemque defugerim, nunc eadem illa  
editione sectari, cumque plebem ipsam, cui consulebatur, limine curiae parieti-  
busque discreverim, ne quam in speciem ambitionis inciderem, nunc eos etiam,  
36 ad quos ex munere nostro nihil pertinet praeter exemplum, velut obvia ostenta-  
tione conquirere. (§18) Habes cunctationis meae causas; obsequar tamen consi-  
lio tuo, cuius mihi auctoritas pro ratione sufficiet. Vale.

*Plinius. 9,30*

C. Plinius Gemino suo s.] Laudas mihi et frequenter praesens et nunc per  
epustulas Nonium tuum, quod sit liberalis in quosdam; et ipse laudo, si tamen  
3 non in hos solos. volo enim eum, qui sit vere liberalis, tribuere patriae, propin-  
quis, adfinibus, amicis, sed amicis dico pauperibus, non ut isti, qui iis potissi-  
mum donant, qui donare maxime possunt. (§2) hos ego viscatis hamatisque  
6 muneribus non sua promere puto, sed aliena corripere. sunt ingenio simili, qui,  
quod huic donant, auferunt illi famamque liberalitatis avaritia petunt. (§3)  
primum est autem suo esse contentum, deinde, quos praecipue scias indigere,  
9 sustentantem foventemque orbe quodam socialitatis ambire. (§4) quae cuncta si  
facit iste, usquequaque laudandus est; si unum aliquid, minus quidem, laudan-  
dus tamen; tam rarum est etiam imperfectae liberalitatis exemplar. ea invasit  
12 homines habendi cupido, ut possideri magis quam possidere videantur. vale

## Literatur

- H.-P. BÜTLER, Die geistige Welt des jüngeren Plinius. Studien zur Thematik seiner Briefe, Heidelberg 1970.
- L. CASTAGNA und E. LEFÈVRE (Hgg.), Plinius der Jüngere und seine Zeit, München/Leipzig 2003.
- B. RADICE, A fresh approach to Pliny's Letters, G&R 9, 1962, 160-8.
- S. E. HOFFER, The Anxieties of Pliny the Younger, Atlanta 1999.
- A.-N. SHERWIN-WHITE, The Letters of Pliny. A Historical and Social Commentary, Oxford 1966.
- A.-N. SHERWIN-WHITE, Pliny, the Man and his Letters, G&R 15, 1969, 76-90.
- M. LUDOLPH, Epistolographie und Selbstdarstellung: Untersuchungen zu den "Paradebriefen" Plinius des Jüngeren, Tübingen 1997.
- H. KRASSER, *Claros colere viros* oder über engagierte Bewunderung. Zum Selbstverständnis des jüngeren Plinius, Philologus 137, 1993, 62-71.
- Luigi CASTAGNA: Teoria e prassi dell'amicizia in Plinio il Giovane, in CASTAGNA / LEFÈVRE (s.o.), S. 145-172.
- Roberto GAZICH, Retorica dell'esemplarità nelle lettere di Plinio, in CASTAGNA / LEFÈVRE (s.o.), S. 123-141.
- J. RADICKE, Die Selbstdarstellung des Plinius in seinen Briefen, Hermes 125, 1997, 447-469.
- A. M. RIGGSBY, Self and Community in the Younger Pliny, Arethusa 31, 1998, 75-97.